

D. O. M. A.

ELIÆ

Adscensio in coelum

*ex 2. Reg. 2. v. 11. & 12. repetita, explicata, & ad placidam
sententiarum collationem proposita,*

AUSPICE
DEO TRIUNO

In Illustri Coburgensium Athenæo,

PRÆSIDE

ANDREA KESLERO, SS.

TH. D. SUPERINTENDENTE GE-
NERALI &c. Saxo-Coburgico,

RESPONDENTE

JOHANNES von Sand COBURGEN.

SI Franco,

Ad diem 29. Maji.

WITTEBERGÆ,

Recusa ANNO MDGCI.

Coll. diss. A
185, 34

Sächs.
Landes-
Bibl.



D. O. M. A.

TEXTUS

2. Reg. 2. v. 11.

Cumque pergerent & incedentes sermocinarentur, ecce currus igneus & equi ignei dividerunt utrumque. Et ascendit Elias per turbinem in caelum.

V. 2. Eliseus autem videbat & clamabat :
Pater mi, pater mi, currus Israel & auriga ejus.
Et non videbat eum amplius.

THESIS

1. Quantus Propheta fuerit *Elias*, non solum ex V. sed etiam ex N. T. constat. In V. T. historia ejus late describitur. 1. Reg. 17. & seq. 2. Reg. 1. & 2. Malach. 4. 5. promittitur in dieb. ultimis Elias veniens, Johannes nempe Baptista, docente Christo Matth. 11. 14. & c. 17. 12. Venit enim in Spiritu Eliæ, secundum angeli monitum Luc. 1. 17. Judæi ex Johanne

A 2

ELIÆ ADSCENSIO

hanne quæerunt, an ipse sit Elias, *Job. 1. 21.* nempe rediviuus. Unde Johannes negat se esse Eliam. Quidam in populo de Christo dixerunt Johannem apparuisse, *Luc. 9. 8.* Porro Elias cum Mose, Christo & aliquot ejus discipulis in monte apparuit, & cum Christo collocutus fuit, cum transfiguraretur, *Matt. 17. 3.* Lucas etiam Eliæ meminit vel potius Christus apud Lucam *Luc. 4. 25.* & Apostoli *Luc. 9. 54.* & Paulus *Rom. 11. 2.* & Jacobus c. 5. 16. In apocryphis quoque V. T. libris Eliæ mentio fit *Sirac. 48. 1. & seq. & 1. Maccab. 2. 58.* Fuit omnino magnus animo in arguendo peccata, magnus eloquio in penetrando corda, magnus opere in efficiendo miracula, magnus denique itinere in adscendendo ad cœlum. De hoc ultimo impræsentiarum bono cum Deo agere animus est.

2. Tria vero in descriptione adscensus Eliæ in cœlum continentur, 1. *Antecedens* actus illius; nempe colloquium ambulantium, Præceptoris Eliæ, ac discipuli Elisæi; 2. *actus* ipse itineris 3. *consequens* illius in Elisæo. De his ordine.

3. **MEMBR. I.** *Antecedens* est 1. ambulatio Eliæ & Elisæi. 2. locutio. *Ambulatio* notatur his verbis: *Cumque pergerent & incedentes sermocinarentur.* Hebr. *Et fuit ipsis euntibus eundo.* LXXII. *καὶ ἐγένετο αὐτῶν πορευομένων, Et factum est ipsis pergentibus,* nempe ad Jordanem 2. *Reg. 2. 7.* postquam, licet renuente Elia, Elisæus ipsum primo Bethel usque, deinde ad Jericho v. 4. comitatus fuisset, nec ipsum relinquere abeuntem voluisset v. 7. revelatione nim. de abitu Præceptoris edoctus, quod circumstantiæ textus innuunt. *Et fuit.* In textu historico vertitur, *Et factum est*

Etum est, & accidit, quemadmodum in N. T. eodem modo usurpatur, & factum est. Particula, &, non semper est copulativa, sed sæpe inchoativa. Usitatissimum est historicas narrationes incipere à *vajehi*, & plurima capita sunt, quorum singuli versus ab hac litera initium ducunt, notante *Buxtorf. l. 2. Grammat. c. 21. p. 593.* Exempla passim obvia sunt. *Itaque pro & habet Tremellius.*

4. Modus loquendi usitatus est *euntes eundo.* Geminationes verborum, ut plurimum de amplificatione intelligenda sunt, regula est octava de figuris verborum in libello de phrasibus ebraeis, &: *Ea repetitio vocatur, & exponitur per valde, vel diligenter. Buxtorf. l. 2. Grammat. c. 16. p. 498.* hanc ponit: *Verbum finitum quodvis regit suum infinitum, ad majorem certitudinem & evidentiam exprimentam;* & addit quam plurima diversorum etiam generum exempla. Et quando infinitus sequitur, tum continuatio & frequentatio indicatur p. 499. Magni momenti fuit illa *Eliæ & Elisæi* ambulatio, ut mirum non sit, emphaticam de ea phrasin usurpatam esse.

5. *Quæritur hoc loco, cur Elias secunda & tertia vice ab Elisæo discedere voluerit, & ut maneret, discedente Præceptore, jufferit.* Resp. Forte ignoravit Elias voluntatem Dei, & voluit absente Elisæo in coelum adscendere, vel modestiæ causa, vel ne hic acerbius ferret abitum Præceptoris, vel, quod probabilius est, ut fidem ac constantiam discipuli probaret. Elisæus vel præscivit futuram Eliæ migrationem, ideoque ipsum relinquere noluit singulari Dei instinctu.

ELIÆ ASCENSIO

6. *OBSERVEMUS* hic sequentia. 1. Boni ordinis, mo necessitatis est, ut sint Præceptores, ad caput discipulorum *2. Reg. 2. 3.* & discipuli, qui ad pedes præceptorum sedeant *Act. 22. 3.* 2. Boni discipuli est comitari & sequi fidelem præceptorem, ei que devote adhærescere. *Matth. 19. 28.* id fecerunt Apostoli speciali ratione. Sed in genere ut discant, adhæreant etiam præceptori discipuli. 3. Ament, honorent, timeant, ac sequantur discipuli fidelem præceptorem, dum possunt. Non semper Elisæus suo Elia frui potest. Repetit Deus, quod dedit, bonum. Valet & hic illud: *fronte capillata est, post bac occasio calva. 4.* Constanter discipulo præceptori adhæreat, nec ante tempus eum relinquat. Veniet hora à Deo definita, qua discipulus & ipse fiat præceptor, ac præceptoris sui in doctrina successor. 5. Non omnibus omnia Deus revelat. *2. Reg. 4. 27.* Sit ergo quisque contentus eo, quod ab ipso accepit. 6. Non illicitum est proximum tentare, ut fides ejus probetur. Sic Christus Cananæam mulierem tentavit *Matth. 15. v. 23. & seq.*

7. *Locutio* notatur: *Sermocinarentur*, Hebr. *loqwendō*, LXXII. *καὶ λαλῶντων.* Tremellius reddidit: *Ipsis pergentibus ambulando colloqui.* Fonti, ut videtur, non plane convenienter, ubi ambulare & colloqui per & interjectum conjunguntur. Lutherus: *und er redet/* referens sermonem ad solum Eliam, dubio procul ex *v. preced. 10.* Ibi enim ultimo Elias loquitur. Inanuetur ita circumstantia temporis specialissima, nempe adscendisse Eliam, cum vix ultima verba ad Elisæum absolvisset. *Ire & loqui in fonte*

IN COELUM.

in fonte ad idem commune verbum referuntur, sive ad plurale participium: Euntes eundo & loquendo. *Münsterus: Factum itaque est, cum ipsi pergendo & loquendo proficiscerentur.*

8. *QVAERITUR, qua fuerit materia collocutionis?*
 Resp. Ex mente, ut videtur. Lutheri prædictio v. 10. de spiritu Eliæ Elisæo conferendo. Alii generalius loquuntur. *Eundo colloquebantur de rebus divinis, ut decebat prophetas, inquit Pellicanus. Et fortassis de duobus regibus inungendis, Jehu inquam, & Azabele, qui futuri erant ultores idololatriæ, addit Petrus Martyr, quod ante eum Lyradocuerat. Procul dubio, de rebus maximis, scribit Osiander. Sed sufficit materia illa præcedens, eaque gravissima, quando alias Spiritus Sanctus non expresit.*

9. *OBSERV.* 1. Sanctorum hominum sanctæ sint conversationes, 2. *Cor. 1. 12.* 2. Ambulationum condimenta in piis sunt pia colloquia, *Luc. 24. 14. & seq.* 3. Ubi duo aut tres congregati sunt in Dei nomine, ipse est in medio eorum, *Matth. 18. 20.* In primis ponderosa sunt magnorum virorum verba, quæ sub habitu in cœlestem patriam faciunt. Exemplo est oratio Jacobi *Gen. 49.* Davidis 1. *Reg. 2. 2. &c.*

10. *MEMBR. II.* In ipso *adscensu* sive raptu Eliæ 1. occurrit particula *Ecce* quasi proœmialis. Usurpatur illa a. a Prophetis, de rebus eximiis ac certis, præsentibus ac futuris, attentionis excitandæ gratia. *Esai. 7. 14. Ecce virgo concipiet, & pariet filium,* 2. In historiis inservit admirationi ob rem inopinatam: *Matth. 2. 1. Ecce magi ab oriente venerunt.* 3. Adhibetur Ironice, ut cum Christus

ad

ELIÆ ADSCENSIO

ad Phariseos dicit *Luc. 11. 41. Et ecce omnia munda sunt vobis.* 4. Significat etiam promptitudinem: *Es. 6. 8. Ecce ego, mitte me;* ut & præsentem rei exhibitionem: *Gen. 29. 1. Et ecce, puteus erat.* 5. Et aliquando particula saltem expletiva quasi *Exod. 31. 6. Et ecce ego dedi.* Vide *Flacium part. 1. Clav. LXXII. נְעִיבָה*, ut alibi reddiderunt. Hoc in loco admirationi servit. 2. sequuntur membra descriptionis, & 1. instrumentales causa, igneus currus & ignei equi & turbo. 2. motus consideratus ratione termini à quo: Separatus est Elias ab Elisa. 3. motus consideratus ratione termini ad quem: Raptus est Elias in cœlum. 4. Persona raptæ, Elias. 5. Spectator Elisa.

II. 1. Instrumenta fuerunt 1. currus & equi ignis seu ignei, inservientes actui separationis seu avulsionis Eliæ ab Elisa. Fuisse angelos ex *Psal. 104, 4. & Psal. 68. 18.* non male colligitur à *Martyre. Lyra: Ista, inquit, fuerunt formata virtute divina vel angelica.* Moraliter autem idem exponit de angelis, quia in tali specie venerunt in auxilium Elisæ, infra c. 6. *Elisa fuit visum, quasi currus & equi ignei eum adduxerint,* scribit *Münster. h. l.* quasi fuerit saltem apparentia vel imago in oculis Elisæ. Sed non est causa, cur non literam secuti, statuamus, angelica virtute revera ignem adfuisse forma currus & equorum. Infra c. 6. sane apertis divinitus oculis Elisæi famulus vidit currus & equos igneos. Habet quidem locum suum observatio, quod aliqua dicantur talia, qualia hominum oculis apparent, quam *Sanctius* Jesuita in *Comment. in h. l.* repetit, sed potissimum, quando respectus habetur ad videntem, quod *h. l.* non fit. *Cajetan. h. l.* allegante *Sanctio* candidam

IN COELUM.

didam nubem, quæ Eliam circumdederit, intelligit, nec ille ipse in diversum abit, eo quod igneum dicatur id, quod splendidum est, id quod exemplo probat. Sed argumenta, quæ addit, infirma sunt. 1. Hic explicandi modus evitat miraculum, quo & Elias in corpore adhuc passibili & mortali non comburitur, neque pallium ad Helisæum mittitur ustulatum: [Atqui 1. cur ad miraculum evitandum a litera discedamus? Itane à miraculis divinis caveamus? 2. Hypothesis illa de corpore Eliæ adhuc passibili gratis affertur] 2. quia turbo non tam rapit ignem, quam nubem. [Imo non difficulter & istum & hanc vel experientia teste.]

12. *QVÆRITUR 1. Cur curru & equis abductus sit Elias?* Resp. Denotatur dignitas servorum DEI, qui quasi cum pompa ad se in cœlum eos avehere dignatur, contra mundum illos contemnentem & persequentem. Currus & equi honoratis personis conveniunt. *Lyra* hanc affert rationem: Ad ostendum, quod Elias non adscendebat in cœlum virtute propria, sicut Christus, in cujus adscensione non apparuit aliquis currus. *QVÆRITUR 2. Cur igne ablatus sit?* Resp. *Martyr.* Species illa ignis optime congruebat heroico animo Eliæ, qui semper zelo ac studio gloriæ Dei accensus & inflammatus fuerat. Deus porro multa per ignem effecit. In rubo in flamma ignis apparuit Mosi. Et legem dedit in Sinai non absque tonitru & fulgere. Spiritus item sanctus datus est Apostolis ignea specie. Quin & ipsi Eliæ usui crebro fuit. Elicuit enim de cœlo ignem, ad absumendum sacrificium in certamine Baalitico. Ignem vidit in monte Horeb, & validam tempestatem, priusquam sibilus auræ tenuis accederet.

B

cederet.

cederat. Deinde semel & iterum igne combusit principes quinquagenarios.

13. 2. *Turbo, tempestas* validissimus ventus, secundum Gloss. ordin. Nomen est à radice turbavit, commovit. Tempestatis enim ac venti est arbores dejicere, & aedificia diruere, naves in mari frangere. *Psal. 148. 8.* habetur ventus tempestatis, *Sturmwind*. Movet hic *Munsterus* dubium: *Elias per currum igneum fuit vectus in caelum, quomodo igitur turbo & ventus vehemens sustulerunt eum in caelum, & respondet: Dicendum, quod Elise visum fuit, quasi currus & equi ignei eum abduxerint, cum illum turbo igneus sublevaret à terra.* *Simplicius* dicitur, hæc duo non pugnare, sed optime consistere, currum & equos igneos, & turbinem. Illi separaverunt Eliam ab Eliseo in terra & de terra, & in hoc facta fuit translatio in caelum. In vento & tempestate ignea quidni possent esse currus & equi ignei sive ignes in modum currus & equorum formati?

14. *QVÆRITUR, cur in turbine Elias abreptus fuerit.* Resp. Factum est hoc ad notandam DEI servum suum avocantis majestatem, cui homunciones in terris, quotquot sunt, resistere nequeant, quemadmodum ventus vehementissimus à nemine impediri potest, sed cum timore ac tremore auditur ab omnibus. Deus potentiam suam in vento & tempestate ostendit *Psal. 104. 3. & 105. 39. & 135. 7. Exod. 27. 9. & seq. 2.* Conveniens etiam fuit servo Dei tempestas ac ventus, quin in officio suo tanquam ventus vehemens perruerat, nullis hominum impiorum machinis conclusus.

15. 2. *Motus*

IN COELUM.

15.2. *Motus* ratione termini à quo est *diviso* inter *Eliam* & *Eliseum* in terra, & *avulsio* illius ab hoc: *Currus igneus* & *equi ignei* *diviserunt* *utrunque*: Quemadmodum opera *currus* & *eqvorum* *magni Viri* *discedunt* & *separantur* ab iis, quibus cum *conversati* fuerunt, & sic *iter suum* *ingrediuntur*: sic *curru* & *eqvis igneis* *vectus* *Elias* *Elisæum*, quin & *terram* *reliquit*.

16.3. *Motus* ratione termini *ad quem* est *adscensus* *Eliae* in *coelum* per *turbinem* sive in *turbine*: *Et adscendit Elias per turbinem in caelum*. De hoc termino sive loco ad quem variant sententiæ. *Cœlum* ait *Lyra*, non *sidereum*, vel *empyreum*, sed *aereum tantum*, ut *Elias* per *aerem* *portaretur*, ad *locum distantem*, sicut *Abachuc* per *angelum* *fuit portatus de Judea in Chaldaeam*. *Locus autem ad quem deportatus fuit Elias secundum Doctores Catholicos & Hebraeos* (de quibus idem refert *Munsterus* h.l.) est *Paradisus terrestris*, ubi *Enoch* ante fuerat *translatus*. *Schindlerus* in *Lex. p. 1232*. hæc scribit: *Introduxit eum in Paradisum cum corpore, sicut fuit homo primus, antequam peccaret. Et sic eo inductus fuit Henoch. Et tradunt decem Paradisum ingressos esse viros*. Sane absque dubio est, locum per quem in raptu *Eliae* fuisse *aerem*, qui frequenter in sacris *coeli* nomine appellatur. Sed eundem ultimum esse terminum, quod *Jesuitæ* volunt, negat *Chrysostr.* in *Orat. de Elia* allegante *Martyre*, in primis eo argumento, quod non sanctorum sed *dæmonum* sedes sit in *aere*. Sententia vel ista de *Paradiso* ipsis etiam *Pontificiis* hodie displicet. Inter *sidera* *Eliae* animam collocatam esse nemo fortassis asseret. *Chrysostr.* eodem *Martyre* p. 190. notante scriptum esse consultum, ut nos in iis contineamus, quæ scripturæ

ELIÆ ADSCENSIO

pturæ tradunt : alioqui tutum non esse vagari extra eam nostris inquisitionibus. Et *Cyprianus*: *quo raptus*, inquit, fuerit, *Deus novit*, ac si diceret; ad notitiam hominum id non pervenisse. Ipse *v. Martyr* p. 193. ita: *Nunc v. si rogor, ad quem locum Henochus & Elias translati fuerint, dicam me simpliciter ignorare, quod à divinis literis id non tradatur.* Si tamen verisimilis ratio sequenda sit, illos dicerem ad locum patrum vel sinum *Abrahæ* fuisse perductos, ut ibi *Christi resurrectionem* una cum beatis *Patribus* agerent, ut postea cum illo jam resuscitato supra cælos attollerentur. Nos statuimus terminum ultimum itineris & *Enochi* & *Eliæ* fuisse, sinum *Abrahæ*, sedem quietis, cælum beatorum, statum alterius vitæ, nempe cælestis nec tertiam moræ sedem post hanc vitam præter cælum & infernum, ordinariam constituimus. Hoc modo non indiguit *Elias*, ut cum *Christo* demum in cælum conscenderet. Qvo de in historia *Enochi*. Nec opus erat, ut *Martyr Evangelicos* his verbis exagitaret p. 191. *Ubiqvista nostrorum temporum* fortassis dicerent hos viros fuisse raptos ad cælum suum ubiqvarium. Sed hoc nihil aliud esset, quam eos mittere in *Utopiam*, quæ nusquam est. Et profecto, si corpora sua retinent, necesse est, ut aliquo ambiantur corpore. Verissimum illud est, quod *Augustinus* protulit ad *Dardanum*: *Tolle loca corporibus, & quæ nusquam erunt, nec quidem erunt.* Resp. 1. Nemo hominum ab Evangelicis in cælo majestatico seu sede majestatis divinæ ponitur præter *Christum*, quod non ignoravit *Martyr*, qui illam false cælum ubiqvarum appellat 2. Si omne corpus alio corpore ambiatur, datur progressus in infinitum, quia de omni ambiente corpore dicendum illud ambiri alio corpore. Hæc igitur

tur

tur est *Martyris* Philosophia vel *Aristoteli*, è quo loci definitio hausta est, contraria, licet honoratum Augustini nomen apponatur.

17. 4. Persona in cœlum *raptâ* est *Elias*, de quo breviter th. I. dictum. Hoc loco *QVÆSTIO* discutienda est, *an anima & corpore simul, an illa solum Elias in cœlum translatus sit.* Refert *Martyr* p. 190. *David Kimchi* statuentem, in *Eliæ* raptu vestes ejus fuisse igne absumtas, excepto pallio, quod ab eo cecidit, quin & ipsum extinctum esse, ita, ut unumquodque ipsius corporis elementum fuerit dissolutum, redieritque translatum ad elementum consimile: Spiritum vero in cœlum ad angelorum societates. Idem ait statuere videri *Oecolompadium*. Sic, *sunt inter eos* (Hebræos) refert *Munsterus*, qui putant vestes & corpus *Eliæ* in *Sphæra ignis consumpta, & solum spiritum in cœlum ingressum.* Sed his peregrinis opinionibus liberat nos manifestatio in monte *Matth. 17.* ubi *Moses & Elias* Christo apparuerunt. Statuendum igitur *Eliam* anima & corpore in cœlum translatum, & hoc quidem immutatum fuisse mutatione quadam mortis analogâ, quæ etiam *Epiphani* est sententia.

18. 5. *Speçtator* translationis fuit *Elisa*, ante eam *Propheta* famulus post eam *Propheta* Dominum suum donis *S. Sancti* superans, id quod ipse ab eo ante discessum petit & impetrauit, cum iustus esset petere, arduum quid nempe, non frivolum quoddam. Licet enim *Elisæ* petitio de duplici portione explicari possit vel de præcellentia *Elisæ* in respectu ad cœteros prophetarum filios, vel de duplici dono *Eliæ*, prædictione arcanorum, & miraculis, quæ explicatio *Martyri* arridet, simplicius tamen intelli-

ELIÆ ADSCENSIO

gitur de duplo majori S. sancti gratia 1. in concionando, daß er stärke und mehrer Predigen konnte, denn *Elia-Lutherus* in glossa 2. in miracula faciendo. 3. & in hominum corda fortius per utrunque medium movendo. Numen-
rant hic quidam Eliæ 8. miracula, & Elisæ 16. quæ vide a-
pud *Martyrem p. 188.* ubi notat in Eliæ miraculis omitti
jejunium 40. dierum, & raptum in cœlum. Et illud qui-
dem fuit ipsius miraculum: Hoc vel ei potius ut subjecto,
quam ut causæ competit.

19. De hoc igitur spectatore dicitur in textu: *Eli-
seus autem videbat. Hebr. Et Elisa videns,* nempe separa-
tionem & adscensionem Eliæ. Ubi *QVÆRITUR 1. Cur
Elisa debuerit esse spectator,* Resp. 1. ut ipse confirmaretur
in fide & munere 2. ut esset testis Eliam non periisse, sed
in cœlestem statum pervenisse. 2. *Annon etiam 50. filii
Prophetarum spectatores fuerint?* Videtur affirmandum ex
v. 7. steterunt e contra longe. Quia tamen nec hic nec alibi
in sacris manifeste quid affirmatur, tutissime res in medio
relinquitur.

20. *OBSERV. 1.* Ignei sint Verbi Ministri in officio,
ut alios reddant igneos: Incalescant Doctores spiritu, ut
auditorum corda calefaciant. 2. Christiani si terrentur tur-
bine persecutionis humanæ, consolentur se turbine ma-
jestatis divinæ. 3. Capit cœlum, quem ingratus mundus
nequit pati. Et quem fugiunt & fugant homines, advocat
& assumit DEUS. 4. Ut Elias raptus est in aere & transla-
tus in cœlum: Ita in extrema die Christo obvii rapiemur
in nubibus, nec corporum nostrorum gravitas obstabit.
5. Imprimis spes resurrectionis & æternæ vitæ in secundo
mundo per exemplum Eliæ roborata fuit, ut in primo
mundo

mundo per exemplum Enochi. Nos vero qui sumus in N. Testamento tanquam in tertio mundo, habemus illustrius exemplum, nempe Christum ipsum. Ita *Münsterus* & *Lutherus* iisdem uterque verbis.

21. Resistit hic *Martyr* p. 194. *At mihi, inqviens, videntur exempla esse debere perspicua & clara, quod alioqui sint probationes infirmæ. Hic vel nulla fit mentio resurrectionis aut nostræ aut eorum. 2. Paulus quando nostram resurrectionem demonstrat, Rom. 6. 1. Cor. 15. Ephes. 1. non ablegat nos ad raptum vel Enochi vel Eliæ. Sed vix operæ fuit pretium hæc urgere. 1. Testimonia clariora minus clara non expellunt. 2. Potest corporum nostrorum resurrectio doceri, vel quoad potentiam, vel quoad actum; item vel in genere vel in specie: item vel mediate vel immediate. Documentum certe hoc loco habemus vitæ cœlestis non animæ solum, sed & corpori post hanc vitam debitæ. At qui morimur nos, & corpora nostra corrumpuntur. Nihil refert, Deus infirma nostra corpora in resurrectione mutare atque immortalitate induere potest &c. Pii veteres etiam Enochi & Eliæ exempla ad spem resurrectionis absque scrupulo retulerant. *Epiphani* verba recitat *Gerhard. T. 8. L. p. 148.* Nulla est consequentia: Apostolus d. l. non ablegavit nos ad hæc exempla, sed aliis rationibus demonstravit resurrectionem nostram. Ergo in illis exemplis non dantur illius documenta. Apostolus non ablegat nos ad Jonæ exemplum, dum demonstrat Christi resurrectionem. Ad illud tamen Christi ipse nos remittit.*

22. MEMBRUM III. Consequens raptus Eliæ restat, idque duplex. 1. *Exclamatio* *Elisæ* 1. *Et clamabat.* Hebr. *Et ipse clamans* 1. in genere. LXXII. *κῆρ ἰβόα.* — *Clamor fuit arbitum*

ELIÆ ADSCENSIO

bitum Eliæ dolentis, secundum Osiandr. sed quia Elisæus divinatus edoctus ab itum Eliæ præscivit, vociferans, & hic non in statu infirmitatis humanæ fuit, sed Spiritu heroici. In contrarium est quidem Sanctius Jesuita in Comm. b. l. p. 1366. inqviens: Neque prædisus & fortasse non semel ante ploratus Magistri discessus efficere potuit, ne grave esset & quasi inopinatum illius desiderium. Sed omnes textus circumstantiæ heroem arguunt minime dolentem. Potius videtur fuisse contestantis, ac firmiter asseverantis, quantus Vir avolet, 2. in specie; Pater mi, pater mi. Currus Israel & auriga ejus. Primo jure patrem Eliam vocavit Elisa, discipulus præceptorem, famulus Dominum. Qvin &, quia Elias spiritum suum Elisæo conferendum sub conditione promiserat speciali ratione Patris titulus ipsi debebatur. Repetitio nota est vehementioris affectus, ut notum est.

23. Illud, *Currus Israel & auriga ejus*, magis exercuit interpretes. In hebræo est: *Et eqvites ejus. Vel rhedarii, aurigæ. LXXII. eqves.* Si vertitur eqvites, planum est, per currum significari militarem, ex quo pugnatur. Usitatum fuit regibus, ut curru & eqvis usi in acie starent. *Lyræ vertit militiam, & similitudinem explicat: Currus supportat & auriga dirigit: Sic Elias populum Israel supportavit; defectus complendo, & direxit reducendo ad veram fidem. Item Elias potentior fuit ad defensionem Israel, quam militia cum curribus bellicis secundum quod exponit Raban. Hugo Cardin. auriga ejus, id est, sustentator populi & rector. Sustentator infirmorum, rector robustorum: sustentator per auxilium, rector per consilium: sustentator per compassionem, rector per eruditionem. Interpr. Chald. Melior eras Israeli, oratione tua, curribus & eqvitibus. Cajetanus allegante*

legante

legante *Sanctio* Jesuita in *Comment. b. l.* p. 356. putat allu-
sum videri ad id, quod tunc intuebatur Elisæus. Videbat
enim igneum currum, & in eo insidentem Eliam &c. No-
stra quoque hæc est conjectura, quæ magis probabilis est,
quam *Sanctii* opinio arbitrantis Hebræorum id esse pro-
verbium, quo summum in adversis significari soleat præ-
sidium. Quod si tamen fuit, ratione non caruit.

24.2. *Privatio* Eliæ in Elisæo : *Et non vidit eum amplius.*
Hugo Cardin. *presentia corporali.* Bene. Nam de ea-
dem pauló ante affirmativus fuerat sermo. Nec dubium
est in spiritu Antecessorem successori, & contra, tum
adfuisse. Quod si quærat, *cur statim Elias igneo curru*
vectus sese Elisæo subduxerit, ratio facili datur negotio,
Qui intrans in gloriam corporibus suis, infirmitates phy-
sicas deponunt, ut ne misere aut humiliter de iis cogi-
tandum sit. Eundem etiam in modum & Christus non
amplius a discipulis visus est, cum adsumeretur in cælum.
Quæstio, quam *Sanctius* movere videtur, est supervaca-
nea. Inquit: *Neque credo, cuiquam hominum visus est*
(Elias) aut videbitur unquam, donec tandem ultimum secu-
lorum tempus adveniat.

25. Sed postrema hæc verba deducunt nos ad il-
lam quæstionem: *An Elias venturus sit ad finem mundi, ut*
quæ Anti-Christi labefactaverit improbitas, restauret. A-
ctum est de eadem in historia Henochi. Sed *Sanctii* Le-
ctio additamentum de Elia speciale requirit. Affirmant
Jesuitæ, *Svaretz Tom. 2. in 3. part. Thoma q. 59. disp. 55. Bar-*
rad. Tom. 1. Concord. l. 2. c. 19. & T. 2. l. 10. c. 30. Cornel. de
Lapide in 4. c. Malach. Maldonat. in Mattb. 17. & sententi-
am

am suam probanti. ex *Malach. 4. 3.* *Ecce ego mittam Vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies magnus & horribilis.* Quod v. hic locus fit intelligendus non de Johanne Baptista, sed de ipso Elia proprie, probatur, quia i. LXXII. in Codicibus à Sixto correctis legunt: *Mittam vobis Eliam Thesbitem.* Atque etiam interpretatio Arabica vocem hanc habent docente *Cornel. de Lapide in c. 4. Malach. Tertull. quoque l. de anima c. 35. legit Thesbitem Cyril. etiam l. 1. Johan. c. 44. Chrysof. homil. 58. Matth. 17. allegante Esthio in annotat. Malach. 4. 2. sermo est de adventu Christi secundo. Johannes autem fuit Christi præcursor in adventu primo. Vocatur n. dies magnus & horribilis, quo Christus anathemate percutiet. 2. *Syrac. 48. 10. de Elia Thesbite ait: Qui scriptus es in iudiciis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, & restituere tribus Jacob. 3. ex Matt. 17. 11. & Marc. 9. 12. Elias quidem venturus est, & restituet omnia, itemque Matth. 21. 14. Ipse est Elias, qui venturus est. 4. Ex communi patrum sententia. Contra, quod fatetur *Cornelius de lapide d. l. Burgenfis, Arias, Clarius, Pontificii, item Calvinus & Calviniani, sed & nostri interpretes negant de ipsius Thesbitæ adventu Malachiam loqui, & Johannem Baptistam venturum ab eodem prædici statuerunt, secuti nimirum Christum Matth. 17. 12. At ego dico vobis, Eliam jam venisse. Excipit Sanctius d. l. Ex usu scripturæ talis aliquis dicitur, cujus exprimit mores & ingenium [addimus & officium.] RESPOND. Et hoc est quod volumus. Hanc ipsam ob causam Malachias explicante Christo venturum prædixit Eliam, Johannem intelligens***

Argumenta

Argumenta in contrarium sunt levicula. Nam quod ad Malachiae verba attinet 1. Fontes non habent Thesbiten, nec LXXII. in opere regio. Et si maxime esset illa vox in fonte, tamen ob quam rationem dictus est Johannes Elias, ob eandem dici potuit Thesbita, & conjunctim Elias Thesbita. 2. Dies adventus Christi primi magnus utique & terribilis fuit mundo, praedicante Johanne poenitentiam. Et idem ita describitur *Malach. 3. 2.* Syracidis liber non est in canone, & loquitur secundum vulgarem opinionem. 3. Christus *Matth. 17. & Marc. 9.* ut & *Matth. 11.* non facit duplicem Eliam, proprie dictum, qui venturus sit ante extremum judicium, & mysticum, nempe Johannem, qui jam venerit, sed primo reperit & confirmat vaticinium Malachiae, deinde contra Judaeorum imaginationem de Johanne explicat, quasi dicat: *Malachias quidem ita vaticinatus est, venturum Eliam, qui omnia restitutus sit, & Judaei illud vaticinium ita accipiunt, ac si nondum sit impletum. Sed ego dico vobis, jam per Johannem Baptistam illud impletum esse* 4. Patres suas habuerunt, ut in aliis, ita & hic conjecturas, & inter se dissentiunt. In primis vero notandum, Pontificios Patrum opiniones hujusmodi ideostam cupide amplecti, ut Antichristi regnum utpote adhuc futurum a se removeant. Moderate agit Esthius in annotat. *Malach. 4.* qui cum recitasset sententiam de Elia Thesbite, haec subjungit p. 635. *Alii exponunt de Johanne Baptista, qui Elias vocatur &c.* Hanc posteriorem expositionem pluribus locis sequitur B. Hieronymus & alii post eum. Sic ille.

26. Claudemus *OBSERVATIONIBUS* : 1. Heroici in Ecclesia Doctores sunt currus & eqvites, magno spiritu & autoritate docendo ac confirmando veritatem, & refutando errores, informando, consulendo, agendo, precando, stando adeoque contra quosvis Ecclesiæ hostes, ut ut à mundo vel contemnantur, vel etiam multis modis affligantur, id quod Eliæ in officio contigit. 1. *Reg. 19.* 2. Non forte fortuna sed singulari DEI gratia heroicos Viros Ecclesia nanciscitur. Ideo pro illis debitæ largitori agenda sunt gratiæ. 3. Magni illi Doctores, tanquam singularia DEI organa; dum vivunt, sine invidia amari debent ac coli: Quando ad cœlum abeunt, abitus illorum, sine securitate expendi debet: Ubi abierunt, & Ecclesiam reliquerunt, memoria illorum sine negligentia debet conservari ac propagari. 4. Cum Ecclesia egregiis Doctoribus gaudet, orandum est, ut eos clementer conservet: Ubi unum amittit, precandum, ut in locum Eliæ Elisæum donet. Omnino precibus est opus. Freqventer enim virtus ac robur successu temporum magis magisque languescit. Primum Ecclesiæ seculum N. T. *Ignatium* tulit: secundum præterea *Justinum*, *Polycarpum*: tertium *Origenem*, *Cyprianum*: quartum numero plures *Atbanasium*, *Hieronimum*, *Basilium*, utrumque *Gregorium*, *Nysseum* puta, & *Nazianzenum*, *Epiphanium*, *Ambrosium*, *Chrysostomum*, *Augustinum*, magna illa Ecclesiæ lumina & columnina. Subsequentium seculorum non eam fuisse fertilitatem, historia Ecclesiastica testatur. Quæ fuerit nostrorum post Ecclesiæ reformationem temporum ratio, pie prudentes judicent. 5. Cum autem Deus libere dona sua

sua

sua distribuat, & ut vasa in templo Hierosolymitano, sic Doctores Ecclesiæ diversi sint, nec omnes possimus esse vel Eliæ ad modum currus Israel & equites ejus, vel Elisæi, conandum tamen & annitendum fuerit singulis, ut pedentim propius, pro suis quisque viribus à Deo acceptis, istis Ecclesiæ heroibus accedant, quemadmodum filiorum est paternis, quantum possunt, vestigiis insistere.

COROLLARIUM LOCO

QVÆRITUR.

Utrum Theologo in disputationibus Theologicis Philologica, & Philologo in disputationibus Philologicis Theologica immiscere liceat.

RESPOND.

Utrumque fas est fieri, sed debita cum moderatione. Licet Theologo tractare philologica, & philologo Theologica, sed i. sine facultatum confusione, ne Theologus falcem in messem Philologiæ mittat, & Theologiæ in messem falcem Philologus, sed sua quæque facultati relinquantur. Theologia utitur Philologia in explicando potissimum sacræ scripturæ sensu. Philologia Theologiæ in praxi inservit. Relinquit tamen Theologus ea Philologis, quæ ipsorum sunt, ut ne controversiæ ac disputationes diversarum facultatum

confundantur. Idem facit *Philologus* 2 *sine animorum acerbitate*. *Theologus* ita debet petere & repetere & in succum suum convertere res Philologicas ex Philologis, ut agnoscat singularem DEI in Lingvarum sacrarum cultura gratiam, neque ea, quæ nonnulli superciliose Grammaticas minutias appellare audent, parvipendat, aut Cultores contemnat. *Philologus* ita debet cognitionis suæ praxin in materiis Theologicis instituere, ut nec Theologos rerum magis, quam vocum curam habentes ad unco naso suspendat, nec communes sententias ob unam aut alteram voculam odiosa tractatione turbet. Nos igitur, quando in hac disputatione versiones, ut & alias conferimus, & Philologica inserimus, non ideo disputationes *Philologorum* nostras facimus, sed iis relinquimus justitiæ memores: Verum ideo, quod facimus, facimus, ut usu insigni Philologiæ in explicatione textuum biblicorum ostenso juvenus nostra ad Lingvarum sacrarum studium vehementius inflammetur.

Dn. RE-

DN. RESPONDENTI.

Tempora non paucos retrahunt praesentia Martis
Musarum à castris Theologiaque sacra.

Nempe sequi nolunt Christi vestigia acerba, &
Paupertatis onus cum cruce ferre simul.

Difficile est fateor, tamen est divina voluntas,
Fortunam patiens hanc ut in orbe ferat,

Gloria cui Christi curæ est cordique docendo,
Quique aliis monstrat rite salutis iter.

A semel incepto studio, Sandere, sacro
Te vis non Martis terruit atque furor.

Propositi esto tenax, erit en tibi maxima merces
In coelis habitat qui, sine fine, Deus.

Non te pœniteat didicisse fideliter artes,
Pieridumque choris indigilasse diu.

Nam, pro more suo, negat hic quæ mundus, abunde
Coelestis tribuet, magna Regēna, Pater.

M. Andreas Frommann

in illustri Athenæo Director
& Profess. P.

F I N I S.

Coll. diss. A 185, misc, 34